

Eclogae

Nemesianus

I

THYMOETHAS

" Dum fiscella tibi fluviali, Tityre, iunco
textitur et raucis immunia rura cicadis,
incipi, si quod habes gracili sub harundine carmen
compositum. Nam te calamos inflare labello
Pan docuit versuque bonus tibi favit Apollo.
Incipi, dum salices haedi, dum gramina vaccae
detondent, viridique gregesmittere campo
dum ros et primi suadet clementia solis.

TITYRVS

Hos annos canamque comam, vicine Thymoeta,
tu iuvenis carusque deis in carmina cogis?
Diximus et calamis versus cantavimus olim,
dum secura hilares aetas ludebat amores.
Nunc album caput et veneres tepuere sub annis;
iam mea ruricolae dependet fistula Fauno.
Te nunc rura sonant; nuper nam carmine victor
risisti calamos et dissona flamina Mopsi
iudice me: mecum senior Meliboeus utrumque
audierat laudesque tuas sublime ferebat.
Quem nunc emeritae permensum tempora vitae
secreti pars orbis habet mundusque piorum.
Quare age, si qua tibi Meliboei gratia vivit,
dicat honoratos praedulcis tibia manes.

THYMOETAS

Et parere decet iussis et grata iubentur.
Namque fuit dignus senior, quem carmine Phoebus,
Pan calamis, fidibus Linus aut Oeagrius Orpheus
concinerent totque acta viri laudesque sonarent.
Sed quia tu nostrae laudem deposcis avenae,
accipe quae super haec cerasus, quam cernis ad amnem
continet, inciso servans mea carmina libro.

TITYRVS

Dic age; sed nobis ne vento garrula pinus
obstrepat, has ulmos potius fagosque petamus.

THYMOETAS

Hic cantare libet: virides nam subicit herbas
mollis ager lateque tacet nemus omne; quieti
aspice ut ecce procul decerpant gramina tauri
Omniparens aether et rerum causa, liquores,
corporis et genetrix tellus, vitalis et aer,
accipite hos cantus atque haec nostro Meliboeo
mittite, si sentire datur post fata quietis.
Nam si sublimes animae caelestia templa
sidereasque colunt sedes mundoque fruuntur,
tu nostros adverte modos, quos ipse benigno
pectore fovisti, quos tu, Meliboee, probasti.
Longa tibi cunctisque diu spectata senectus
felicesque anni nostrique novissimus aevi
circulus innocuae clausurunt tempora vitae.
Nec minus hinc nobis gemitus lacrimaeque fuere,
quam si florentes mors invida carperet annos,
nec tenuit tales communis causa querelas.
Heu, Meliboee, iaces mortali frigore segnis
lege hominum, caelo dignus canente senecta
concilioque deum. Plenum tibi ponderis aequi
pectus erat. Tu ruricolum discernere lites
assueras, varias patiens mulcendo querelas.
Sub te ruris amor, sub te reverentia iuris
floruit, ambiguos signavit terminus agros.
Blanda tibi vultu gravitas et mite serena
fronte supercilium, sed pectus mitius ore.
Tu, calamos aptare labris et iungere cera
hortatus, duras docuisti fallere curas.
Nec segnem passus nobis marcere iuventam
saepe dabas merita non vilia praemia musae.
Saepe etiam senior, ne nos cantare pigeret,
laetus Phoebæ dixisti carmen avena.
Felix o Meliboee, vale! Tibi frondis odorae
munera dat lauros carpens ruralis Apollo;
dant Fauni quod quisque valet, de vite racemos,
de messi culmos omnique ex arbore fruges;
dat grandaeva Pales spumantia cymbia lacte,
mella ferunt Nymphae, pictas dat Flora coronas.
Manibus hic supremus honor: dant carmina Musae,
carmina dant Musae, nos et modulamur avena.

Silvestris te nunc platanus, Meliboee, susurrat,
te pinus; reboat te quidquid carminis echo
respondet silvae; te nostra armenta loquuntur.
Namque prius siccis phocae pascentur in arvis
vestitusque freto vivet leo, dulcia mella
sudabunt taxi, confusis legibus anni
messem tristis hiems, aestas tractabit olivam,
ante dabit flores autumnus, ver dabit uvas,
quam taceat, Meliboee, tuas mea fistula laudes.

TITYRVS

Perge puer, coeptumque tibi ne desere carmen.
Nam sic dulce sonas ut te placatus Apollo
provehat et felix dominam perducatur in urbem.
Iamque hic in silvis praesens tibi Fama benignum
stravit iter, rumpens livoris nubila pinnis.
Sed iam Sol demittit equos de culmine mundi,
fulmineos suadens gregibus praebere liquores ".

II

IDAS ALCON

Formosam Donacen Idas puer et puer Alcon
ardebant rudibusque annis incensus uterque
in Donaces venerem furiosa mente ruebant.
Hanc, cum vicini flores in vallibus horti
carperet et molli gremium compleret acantho
invasere simul venerisque imbutus uterque
tum primum dulci carpebant gaudia furto.
Hinc amor et pueris iam non puerilia vota
quis anni ter quinque, et mens et cura iuventae.
Sed postquam Donacen duri clausere parentes,
quod non tam tenui filo de voce sonaret
sollicitumque foret pinguis sonus, improba cervix
suffususque rubor crebro venaeque tumentes,
tam vero ardentes flammati pectoris aestus
carminibus dulci parant relevare querela;
ambo aevo cantuque pares nec dispare forma,
ambo genas leves, intonsi crinibus ambo.
Atque haec sub platano maesti solacia casus
alternant, Idas calamis et versibus Alcon:

IDAS

" Quae colitis silvas, Dryades, quaeque antra, Napaeae,
et quae marmoreo pede, Naides, uda secatis
litora purpureosque alitis per gramina flores,
dicite quo Donacen prato, qua forte sub umbra
inveniam, roseis stringentem lilia palmis?
Nam mihi iam trini perierunt ordine soles
ex quo consueto Donacen exspecto sub antro.
Interea, tamquam nostri solamen amoris
hoc foret aut nostros posset medicare furores,
nulla meae trinis tetigerunt gramina vaccae
luciferis, nullo libarunt amne liquores;
siccaque fetarum lambentes ubera matrum
stant vituli et teneris mugitibus aera complent.
Ipse ego nec iunco molli nec vimine lento
perfecti calathos cogendi lactis in usus.
Quid tibi quae nosti referam? Scis mille iuencas
esse mihi, nosti nunquam mea mulctra vacare.
Ille ego sum, Donace, cui dulcia saepe dedisti

oscula nec medios dubitasti rumpere cantus
atque inter calamos errantia labra petisti.
Heu heu! Nulla meae tangit te cura salutis?
Pallidior buxo vilaeque simillimus erro.
Omnes ecce cibos et nostri pucula Bacchi
horreo nec placido memini concedere somno.
Te sine, vae, misero mihi lilia fusca videntur
pallentesque rosae nec dulce rubens hyacinthus,
nullos nec myrtus nec laurus spirat odores.
At, si tu venias, et candida lilia fient
purpureaeque rosae et dulce rubens hyacinthus;
tunc mihi cum myrto laurus spirabit odores.
Nam dum Pallas amat turgentes unguine bacas,
dum Bacchus vites, Deo sata, poma Priapus,
pascua laeta Pales, Idas te diligit unam ".
Haec Idas calamis. Tu, quae responderit Alcon
versu, Phoebe, refer: sunt aurea carmina Phoebos.

ALCON

" O montana Pales, o pastoralis Apollo,
et nemorum Silvane potens, et nostra Dione,
quae iuga celsa tenes Erycis, cui cura iugales
concubitus hominum totis concedere saeculis,
quid merui? Cur me Donace formosa reliquit?
Munera namque dedi noster quae non dedit Idas,
vocalem longos quae ducit aedona cantus;
quae, licet interdum, contexto vimine clausa,
cum parvae patuere fores, ceu libera ferri
norit et agrestes inter volitare volucres,
scit rursus remeare domum tectumque subire
viminis et caveam totis praeponere silvis.
Praeterea tenerum leporem geminasque palumbes
nuper, quae potui silvarum praemia, misi.
Et post haec, Donace, nostros contemnis amores?
Forsitan indignum ducis quod rusticus Alcon
te peream, qui mane boves in pascua duco!
Di pecorum pavere greges, formosus Apollo,
Pan doctus, Fauni vates et pulcher Adonis.
Quin etiam fontis speculo me mane notavi,
nondum purpureos Phoebus cum tolleret ortus
nec tremulum liquidis lumen splenderet in undis:
quod vidi, nulla tegimur lanugine malas,
pascimus et crinem; nostro formosior Ida
dicor, et hoc ipsum mihi tu iurare solebas,
purpureas laudando genas et lactea colla
atque hilares oculos et formam puberis aevi.

Nec sumus indocti calamis: cantamus avena
qua divi cecinere prius, qua dulce locutus
Tityrus e silvis dominam pervenit in urbem.
Nos quoque te propter, Donace, cantabimus urbi
si modo coniferas inter viburna cupressos
atque inter pinus corylum frondescere fas est " .

Sic pueri Donacen toto sub sole canebant,
frigidus e silvis donec descendere suasit
Hesperus et stabulis pastos inducere tauros.

III

PAN

Nyctilus atque Micon nec non et pulcher Amyntas
torrentem patula vitabant ilice solem
cum Pan venatu fessus recubare sub ulmo
coeperat et somno lassatas sumere vires;
quem super ex tereti pendeat fistula ramo. 5
Hanc pueri, tamquam praedam pro carmine possent
sumere fasque esset calamos tractare deorum
invadunt furto. Sed nec resonare canorem
fistula quem suerat nec vult contexere carmen
sed pro carminibus male dissona sibila reddit, 10
cum Pan excussus sonitu stridentis avenae
iamque videns: " Pueri, si carmina poscitis, inquit,
ipse canam. Nulli fas est inflare cicutas
quas ego Maenaliis cera coniungo sub antris.
Iamque ortus, Lenaee, tuos et semina vitis 15
ordine detexam: debemus carmina Baccho ".
Haec fatus coepit calamis sic montivagus Pan:
" Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis
vitea sarta plicas quique udo palmite tigres
ducis odoratis perfusus colla capillis, 20
vera Iovis proles. Nam cum post sidera caeli
sola Iovem Semele vidit Iovis ora professum,
hunc pater omnipotens, venturi providus aevi,
pertulit et iusto produxit tempore partus.
Hunc Nymphae Faunisque senes Satyrique procaces 25
nosque etiam Nysae viridi nutrimus in antro.
Quin et Silenus parvum veteranus alumnum
aut gremio fovet aut resupinis sustinet ulnis,
evocat aut risum digito motu quietem
allicit aut tremulis quassat crepitacula palmis. 30
Cui deus arridens horrentes pectore saetas
vellicat aut digitis aures astringit acutas
applauditve manu mutilum caput aut breve mentum
et simas tenero collidit pollice nares.
Interea pueri florescit pube iuventus 35
flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.
Tum primum laetas ostendit pampinus uvas:
mirantur Satyri frondes et poma Lyaei.
Tum deus: " O Satyri, maturos carpite fetus,
dixit, et ignotos primi calcate racemos ". 40
Vix haec ediderat, decerpunt vitibus uvas
et portant calathis celerique elidere planta

concava saxa super properant: vindemia fervet
 collibus in summis, crebro pede rumpitur uva
 rubraque purpureo sparguntur pectora musto. 45
 Tum Satyri, lasciva cohors, sibi pocula quisque
 obvia corripunt: quae fors dedit, arripit usus.
 Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco,
 concavat ille manus palmasque in pocula vertit,
 pronus at ille lacu bibit et crepitantibus haurit 50
 musta labris; alius vocalia cymbala mergit
 atque alius latices pressis resupinus ab uvis
 excipit; at potus (saliens liquor ore resultat)
 evomit inque humeros et pectora defluit umor.
 Omnia ludus habet cantusque chorique licentes; 55
 et venerem iam vina movent: raptantur amantes
 concubitu Satyri fugientes iungere Nymphas;
 iam iamque elapsas, hic crine, hic veste retentat.
 Tum primum roseo Silenus cymbia musto
 plena senex avide non aequis viribus hausit: 60
 ex illo venas inflatus nectare dulci
 hesternoque gravis semper ridetur Iaccho.
 Quin etiam deus ille, deus Iove prosatus ipso,
 et plantis uvas premit et de vitibus hastas
 integit et lynxi praebet cratera bibenti ". 65
 Haec Pan Maenalia pueros in valle docebat
 sparsas donec oves campo conducere in unum
 nox iubet, uberibus suadens siccare fluorem
 lactis et in niveas astrictum cogere glaebas.

IV

LYCIDAS MOPSVS

Populea Lycidas nec non et Mopsus in umbra
pastores, calamis et versu doctus uterque
nec triviale sonans, proprios cantabat amores.
Nam Mopso Meroe, Lycidae crinitus Iollas
ignis erat, parilisque furor de dispare sexu
cogebat trepidos totis discurrere silvis.
Hos puer ac meroe multum lusere furentes,
dum modo condictas vitant in vallibus ulmos,
nunc fagos placitas fugiunt promissaque fallunt
antra nec est animus solitos ad ludere fontes.
Cum tandem fessi, quos durus adederat ignis
sic sua desertis nudarunt vulnera silvis
inque vicem dulces cantu dixere querelas:
" Immitis Meroe rapidisque fugacior euris,
cur nostros calamos, cur pastoralia vitas
carmina? Quemve fugis? Quae me tibi gloria victo?
Quid vultu mentem premis ac spem fronte serenas?
Tandem, dura, nega: possum non velle negantem.
Cantet, amat quod quisque: levant et carmine curas.

LYCIDAS

Respice me tandem, puer o crudelis Iolla.
Non hoc semper eris: perdunt et gramina flores,
perdit spina rosas, nec semper lilia candent,
nec longum tenet uva comas, nec populus umbras.
Donum forma breve est nec se quod commodet annis.
Cantet amat quod quisque: levant et carmina curas.

MOPSVS

Cerva marem sequitur, taurum formosa iuvenca
et Venerem sensere lupae, sensere leaenae
et genus aerium volucres et squamea turba
et montes silvaeque: suos habet arbor amores.
Tu tamen una fugis miserum, tu prodis amantem.

Cantet amat quod quisque: levant et carmina curas.

LYCIDAS

Omnia tempus alit, tempus rapit: usus in arto est.
Ver erat et vitulos vidi sub matribus istos
qui nunc pro nivea coiere in cornua vacca.
Et tibi iam tumidae nares et fortia colla,
iam tibi bis denis numerantur messibus anni.
Cantet amat quod quisque: levant et carmina curas.

MOPSVS

Huc, Meroe formosa, veni: vocat aestus in umbram.
Iam pecudes subiere nemus, iam nulla canoro
guttare cantat avis, torto non squamea tractu
signat humum serpens. Solus cano: me sonat omnis
silva nec aestivis cantu concedo cicadis.
Cantet amat quod quisque: levant et carmina curas.

LYCIDAS

Tu quoque, saeve puer, niveum ne perde colorem
sole sub hoc: solet hic lucentes urere malas.
Hic age pampinea mecum requiesce sub umbra;
hic tibi lene virens fons murmurat, hic et ab ulmis
purpureae fetis dependent vitibus uvae.
Cantet amat quod quisque: levant et carmina curas.

MOPSVS

Qui tulerit Meroes fastidia lenta superbae,
Sithonias feret ille nives Libyaeque calorem,
Nerinas potabit aquas taxique nocentis
non metuet sucos, Sardorum gramina vincet
et iuga Marmaricos coget sua ferre leones.
Cantet amat quod quisque: levant et carmina curas.

LYCIDAS

Quisquis amat pueros ferro praecordia duret
nil properet discatque diu patienter amare
prudentesque animos teneris non spernat in annis,
perferat et fastus. Sic olim gaudia sumet,
si modo sollicitos aliquis deus audit amantes
Cantet amat quod quisque: levant et carmina curas.

MOPSVS

Quid prodest quod me pagani mater Amyntae
ter vittis, ter fronde sacra, ter ture vapore,
incendens vivo crepitantes sulphure lauros
lustravit cineresque aversa effudit in amnem,
Cantet amat quod quisque: levant et carmina curas.
cum sic in Meroen totis miser ignibus urar?

LYCIDAS

Haec eadem nobis quoque versicoloria fila
et mille ignotas Mycale circumtulit herbas;
cantavit quo luna tumet, quo rumpitur anguis,
quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbos.
Plus tamen ecce meus, plus est formosus Iollas.
Cantet amat quod quisque: levant et carmina curas".